

mitate erant (si fas sit ita vocare) ut sibi mortem potius inferre, & vitam projicere, quam ludibrio esse maluerint. Vnde cum Symmachus horum numerum in spectacula publica paravisset; eo die, quo in theatrum educi debuerant, faucibus fractis spem exhibendarum voluptatum præripuerunt. De quibus ille ipse Symmachus, Saxonum numerus morte contractus. *Nam quando non prohibuisset privata custodia desperata gentis impias manus, viginti & novem fractas sine laqueo fauces primus ludi gladiatorii dies viderit.*

L. 2. E-
pist. 46.

Equus in-
signe Saxo-
num.

Hæc Ada-
mus Bre-
mensis Sa-
xonibus ad-
scribit, quæ
Tacitus
Suevis.

Dii Saxo-
num.

Wednes-
day.

Fryday.
Tuesday.
Eoster dea.

De tempo-
ribus.

Hertius
Dea.

Earth.

Thorsday.

Superstitionibus etiam admodum dedita fuit hæc Saxonum natio, atque eam ob causam cum de rebus gravioribus consulere, præter aruspicinam, equorum hinnitus tanquam præfagia imprimis observabant, unde fortasse sit, quod equum olim in insignibus gesserint Saxonum duces. At cur Hengiltus, & Horfa nostri ab equo nomen duxerint (utriusque enim nomen Saxonice equum significat) plane me latet, nisi in bellicæ virtutis omen, juxta illud Maronis, *Bello armantur equi, bella hæc armenta minantur.* Sortibus etiam ducendis multi erant, virgam enim fructiferæ arbori decisam, in furculos amputabant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem fortuito spargebant. Mox si publica fuerit consultatio, sacerdos populi, si privata, paterfamilias precatus Deos, cælumque suspiciens per singulos tulit, sublatis secundam impressam ante notam interpretabantur. Vt bellorum eventum explorarent, gentis, cui bellum indicerent, captivum cum electo popularium fuorum, patriis quemque armis committere solebant, & ex victore, quæ gens victoriam reportaret, conjectare. Deum Mercurium maxime coluerunt, quem *Wooden* vocarunt, cui humanis hostiis litarunt, & quartam hebdomadæ feriam consecrarunt, unde *Wednesday* nobis hodie appellatur, ut sextam *Veneri*, quam *Frea* & *Frico* dixerunt, unde dies *Veneris* nobis *Friday* nominatur, uti *Tuesday* à *Tuiscone* Germanicæ gentis conditore. *Eoster* etiam *Deam* habuerunt cui mense *Aprili* sacrificarunt, unde *Aprilem*, inquit *Beda*, *Eoster Monath* vocarunt, & nos *Paschatis* festum etiamnum *Eoster* vocamus. In *Commune*, ut inquit *Tacitus*, *Angli & alia vicine gentes Hertium*, id est terram matrem coluerunt, eamque intervenire rebus hominum, inveni populis arbitrati sunt. Nobisque hodie illa ipsa dictio in usu est pro terra, Germanis vero inusitata, qui *Arden* pro terra usurpant. De his superstitionibus *Ethelwerdus* ille de suo tempore scribit, *In tanta seductione oppressi sunt Aquilonares increduli, ut Woodan sicut Dominum colunt in hodiernum diem Dani, Normanni, & Suevi: & alibi, Woodan barbari ut Deum honorarunt, sacrificiumque obtulerunt pagani victorie causa, sive virtutis.*

Sed hæc plenius *Adam Bremensis*, In templo (*Volsola* patrio sermone vocato) quod totum ex auro paratum est, statuas trium deorum veneratur populus: ita ut potentissimus eorum *Thor* in medio solum habeat trichinium, hinc & inde locum possident *Wodan* & *Fricco*. Quorum significationes ejusmodi sunt, *Thor*, inquit, præsidet in aere qui tonitrus & fulmina, ventos, imbresque, serena, & fruges gubernat: alter *Wodan*, id est fortior, bella gerit, hominumque ministrat virtutem contra inimicos. Tertius est *Fricco* pacem voluptatemque largiens mortali-

bus, cujus etiam simulacrum fingunt ingenti *Priapo*. *Wodan* vero sculpunt armatum sicut nostri *Martem* sculpere solent. *Thor* autem cum sceptro *Iovis* exprimere videntur. Sed hos errores fugavit tandem Christianæ religionis veritas.

Postquam hi jam in Britannia possessione pedem firmassent, in septem regna distribuerunt, *Heptarchiam*que constituerunt, in qua tamen qui plurimum poterat, *Rex gentis Anglorum*, ut est apud *Bedam*, dicebatur, ut *Monarchia* in ipsa *Heptarchia* semper fuisse videatur. Deinde *Augustinus*, quem vulgo *Anglorum Apostolum* dicunt, huc missus à *Gregorio Magno*, sublatis *Ethnicæ impietatis* portentis, felicissimo successu *Christum* in ipsorum animis inferendo ad *Christianam fidem* convertit. Qua ex causa tam sedulam erga salutem gentis *Anglorum* curam gesserit *Gregorius*, ex traditione majorum, *Venerabilis Beda* his verbis retulit: *Dicunt quod die quadam cum advenientibus nuper mercatoribus multa venalia in forum fuissent collata, multique ad emendum confluxissent, & ipsum Gregorium inter alios advenisse, ac vidisse inter alia pueros venales postos, candidi corporis, ac venusti vultus, capillorum quoque forma egregia. Quos cum aspiceret, interrogavit (ut ajunt) de qua regione vel terra essent allati? dictumque est quod de Britannia insula, cujus incolæ tali essent aspectu. Rursus interrogavit, utrum iidem insulani Christiani, an paganis adhuc erroribus essent implicati? dictumque est quod essent Pagani. At ille intimo ex corde longa trabens suspiria, Heu, proh dolor, inquit, quod tam lucidi vultus homines tenebrarum auctor possidet, tantaque gratia frontis conspicui mentem ab interna gratia vacuam gestant. Rursus ergo interrogavit, quod esset vocabulum gentis illius? Responsum est, quod Angli vocarentur. At ille, bene, inquit. Nam & angelicam habent faciem, & tales angelorum in cælis decet coheredes. Quod (ait) habet nomen ipsa provincia, de qua isti sunt allati? Responsum est, quod *DEIRI* vocarentur iidem provinciales. At ille inquit, *DEIRI*, de ira eruti, & ad misericordiam *Christi* vocati. Rex provincie illius quomodo vocatur? Responsum est, quod *AELLE* diceretur. At ille alludens ad nomen, ait, *Alleluia* in laudem *Dei* creatoris illis in partibus oportet cantari. Accedensque ad Pontificem *Romanæ & Apostolicæ sedis* (nondum enim erat ipse pontifex factus) rogavit ut genti *Anglorum* in *Britanniam* aliquos verbi ministros, per quos ad *Christum* converteretur, mitteret, seipsum paratum esse in hoc opus, *Domino* cooperante, perficiendum, si tamen *Apostolico Papa*, hoc ut fieret, placeret.*

De hac conversione *Gregorius* ille *Magnus*, *Ecce* pene cunctarum jam gentium corda penetravit. *Ecce* in una fide *Orientis* limitem *Occidentisque* conjunxit. *Ecce* lingua *Britannica* que nil aliud noverat quam barbarum fremdere, jam dudum in divinis laudibus *Hebræum* coepit *Halleluia* resonare. Et in epistola ad ipsum *Augustinum*: *Quis* narrare hic sufficiat, quanta lætitia in omnium corde fidelium fuerit exorta, quod gens *Anglorum* operante omnipotentis *Dei* gratia, & tua fraternitate laborante, expulsi errorum tenebris sanctæ fidei luce perfusa est, quod devotione integerrima jam calcat idola, quibus prius vesano timore subiacebat. In antiquo etiam fragmento ejus ætatis legitur: *Augustinus* in una *Dominicæ* nativitatæ die qua universa *Anglorum* gloria perpetuo celebratur, plus quam decem millia virorum præter innumerabilem multitudinem seminarum ac parvulorum vita-

Monarchia
semper in
Anglorum
Heptar-
chia. Lib.
2. cap. 5.
596 An-
gustinus.
Anglorum
Apostolus.
Angli ad
fidem con-
versi
Lib. 2. cap.
1.

HolDeir-
ness.